



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XI. Ne quis beneficium suum resignans aliquid sibi de eodem retineat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

& psallendum: ad minus duplicia ornamenta sacerdotalia: & vt honor debitus diuinis officiis impendatur, * præcipimus vt qui altari ministrant superpelliciis induantur.

XI.

Ne lepra Giezitica (quod absit) per auaritiæ cultum latenter irrumpens, ministros ecclesiæ collocet extra castra regni æterni, districtius inhibemus ne quis ecclesiæ suæ renuntians recipiat ab eo qui sibi substituitur vicariam, cum vehementer possit præsumi quod talia fiant per pactiõnem etiam turpem. Quod si ab aliquo fuerit acceptatum, & ille vicaria & alius personatu priuentur. Illud autem absurdum reputamus omnino, vt aliqua existente persona vnius ecclesiæ, alius de consensu ipsius personæ aliquid conferat in eadem ecclesia nomine personatus, nisi persona prior ecclesiam totam prius duxerit resignandam.

XII.

Quia iuxta canonicas sanctiones inter carnale & spirituale matrimonium optima est comparatio, & cum inter duos sponfos diuidi naturalis ratio minime patiat, & inhonestum est plurimum, quod ecclesia Dei, quæ debet esse vna, multorum amplexibus frequenter ancilletur: sacro ergo approbante Concilio, districtius inhibemus ne de nouo aliqua ecclesia pluribus rectoribus, quorum vterque sit persona, committatur agenda. In ecclesiis autem, vbi nunc plures personæ existunt, statuimus vt singulis decedentibus accrescat viuentibus portio decedentium, donec ad vnum solum illius ec-